

2857

LITURGICI.

2858

tantum annorum, sed et Episcoporum numero laborare. Erro-  
nee tamen ibi in primo Exemplo  
legitur *sanguinis* pro *sagiminis*,  
quod in altero p. 58. rite cautum  
fuit.

DCCXC.

370 Codex membraneus lat. Sec.  
XIII. Folior. 188. f. nitidissime  
scriptus, rubricisque enotatus  
hac inscriptione gaudet: *Prolo-  
gus sequentis opusculi de diuinis  
officiis per circulum anni.* Initium  
est: *Ea quae per circulum anni or-  
dine constituto in diuinis aguntur  
officiis &c.* Tractatus hic ad *Ru-  
pertum* Abb. *Tuitiensem* O. S.  
B. clarum Sec. XII. Scriptorem  
pertinet, a quo missum Exemplar  
ad *Cunonem* Ep. *Ratisbon.* opina-  
tur se vidisse inter S. *Emmerami*  
Codices Cl. *Bern.* *Pezius* T. I.  
*Tbes. Anecd. Dissert. Isagog.* p.  
39. Abest a *Nostro* praevia ad  
*Cunonem* *Epistola*, quae tamen  
habetur Tractatui praefixa in edit.  
*Opp. Ruperti Veneta* 1751. T.  
IV. p. 3. Liber I. ita incipit: *Se-  
ptem canonicas horas diei non licet  
a quoquam &c.* A Libro VIII.  
neglexit Scriba novorum Libro-  
rum notare initia. Integrum ta-  
men decurrit Opus usque ad *ulti-  
mum* L. XII. Caput de *Nocturnis*  
*Lectionibus a mense Septembri*,  
quod excidit, *Codice* in haec ver-  
ba desinente: *tanto difficilior uictoria*,  
quae Caput penult. in Edi-  
tis terminant. Lectionis ab his di-  
screpantia exigua est. Ita in *Praef.*  
nonnisi *terra purgata pro purpura-*  
*Denis Codd. Theol. V. I. P. III.*

*ta* habetur. Sed luculentior in  
Edit. error sub finem L. VI. c.  
36. p. 81. *jam dictum est pro di-  
cendum est.*

In fronte *Cod.* legitur: *Iste li-  
ber pertinet monasterio beate marie  
magdalene in franckentall inter spi-  
ram et wormaciam canonicorum re-  
gularium ordinis sancti augustini  
episcopi et doctoris.* Addidit alius:  
*Dono datus mihi hic liber a curato-  
re presente priore quia in eadem  
libraria aliud exemplar habebant.*

DCCXCI.

Codex membraneus lat. Sec. 386  
XII. Folior. 101. 4. probe scri-  
ptus et rubricis distinctus *Liturgi-  
cus* est, cujus titulus ex his *Pro-  
logi* verbis innotescit: *Ob hanc  
causam libellum de diuinis officiis  
ut iussistis edidi. cui nomen gemma  
anime indidi. quia uidelicet ueluti  
aurum gemma ornatur. sic anima  
diuino officio decoratur.* Autor,  
qui hic tacetur, est *Honorius* Presb.  
*Augustodunensis*, qui non, ut in  
*Fabric. Bibl. med. Lat.* circa an.  
1300. sed in confinio Sec. XI. et  
XII. floruit, et non raro *Solitarii*,  
quin *Inclusi* nomine venit. Opus  
nostrum, quod post iteratas Edi-  
tiones receptum est in *PP. Bib-  
liothecas*, et in *Lugd. T. XX.* p.  
1046. legitur, incipit ab *Episto-  
la Solitariorum*, qua hunc labo-  
rem a *Solitario* expetunt, ejusque  
*Responso.* *Agmen in Castris eterni  
Regis exubans &c.* et: *Postquam  
christo fauente pelagus scripture  
prospero cursu in summa totius  
transcucurri &c.* Ad quae verba  
Z obser-

2859

C O D I C E S

2860

obseruo, videri *Honorium* saltem *cursorie* in tota *Biblia* commentatum fuisse, cum tamen hodie *Ἐγμνευτικα* ejus nonnisi in *Hexameron*, in *Psalms*, in *Cantica*, in *Proverbia* et *Ecclesiasten* nota sint. *Epistolas* sequitur *Prologus*: *Plerosque uesania captos piget* &c. *Index Capitum* nobis nullus, neque *divisio* in *Libros* IV. sed in II. quorum posterior orditur a C. *De Horis*. *Finis totius Operis*: ut

cum *ianua tardantibus obcludatur ipse uestris nuptiis interesse mereatur*. *Adi et Cod. CCCXXXVI*. *Adhaerent continuo eadem manu exaratae Solutiones III*. *Quaestionum*, videlicet: *Qui sint dies temporalitatis et eternitatis. Cur apostolus vocat dies malos. Cum omnes dies domini sint, cur dies iudicii proprie dies domini dicatur*. *Nihil haec pertinere ad Gemmam Animae*, quivis videt. *His subscriptum*:

*Sueui scriptura ꝑoscas michi cęlica  
Qui legis hęc plura ꝑ dum non quęram michi iura.  
Hi michi sanętarum loca contingant animarum.*

*Praeterea Fol. 1. p. 1. exhibetur manu Sec. XV. Bulla Bonifacii VIII. data anno CCC. de Iubilaeo singulis 100. annis celebrando, quae incipit: Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum* &c.

DCCXCII.

377 Codex membraneus lat. Sec. XI. non nisi 6. nunc Folior. f. quod dolendum, pereleganter exaratus Fragmentum continet *Libri de divinis Officiis*, olim ab *Hittorpio* sub *Fl. Alcuini* nomine *Colon. 1568. c. aliis ejusd. argumenti p. 37. editi*, sed jam ab *Andr. Quercetano* in edit. *Opp. Alcuini Paris. 1617. f. dubio notati*, et nunc in edit. *Ratisbon. 1777. T. II. P. 6. p. 461. e rationibus in Monito praevio adductis merito inter Supposita rejeęti*. *Inchoat Fragmentum istud ab his C. 39. verbis: presentem uitam designat in qua su-*

*perfluos humores patimur. Casula que super omnia indumenta ponitur* &c. et definit in his C. 40. *Suscipit interim sacerdos a populo oblata. ut ipse qui est inter deum et ipsum — —*. *Contuli partem priorem hujus Fragmenti cum edit. Ratisbon. in qua rescribendum bis Cereostata (Candelabra) pro Cereostrata*. *Item: Hęc iubilatio — tempus significat quando non erit pro non erat*. *Denique in fine hujus Cap. 39. adtexit Noster: Offertorium uir erat in terra (Hus). Verba ista istorici continentur in offertorio. uerba iob egroti. et dolentis continentur in uersibus. Egrotus. cuius anbelitus non est sanus. neque fortis. solet uerba imperfecta sepius repetere. Officii auctor. ut affectanter (affectanter?) nobis ad memoriam reduceret egrotantem iob. repetit sepius uerba morte egroti. In offertorio ut dixi non sunt uerba repetita. quia istoricus scribens historiam non egrotabat.* *Atque*